



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, M. DCC. XIX.

Casus III. Argumentum. An Religioso concedenda sit facultas mutandi
dispositionem, & reservationem Jurispatronatus factam de tempore
Novitiatus, accedente consensu illius, favore cijus reservatum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

præscriptis eximere; ut novissimè resolutum fuit ab eadem S. Congregatione Concilii in Callien. 4. Martii 1719. ubi mos est antiquus Ecclesiæ Calliensis, quod fiant Tabellæ, tum pro diebus, in quibus Sacerdotes debent deferre Pluvialia, tum pariter pro diebus, & horis, in quibus Missæ sunt celebrandæ, cum autem Patroni cujusdam Cappellaniæ sub invocatione S. Bernardini in Cathedrali Ecclesia Calliensi erectæ contenderent Cappellanum à se nominatum non teneri deferre Pluviale certis diebus, & celebrare certis pariter diebus, & horis præscriptis, uti demandatum fuit ab Episcopo in Tabellis pro regulanda officatura ejusdem Cathedralis exaratis inter cætera, eo sub motivo, quod licet non inveniat fundatio dictæ Cappellaniæ, adsunt tamen aliæ foundationes aliarum Cappellaniarum, in eadem Ecclesia erectarum, in quibus recensita onera non inveniuntur; hoc tamen non obstante, fuit injunctum eidem Cappellano deferre Pluviale, & Sacrum celebrare certis diebus, & horis præscriptis in Tabellis.

ARGUMENTUM.

An Religioso concedenda sit facultas mutandi dispositionem, & reservationem Jurispatronatus factam de tempore Novitiatus, accedente consensu illius, favore cujus reservatum fuit Juspatronatus.

SUMMARIUM.

- 1 Pontifex concedere potest Regularibus facultatem disponendi, & mutandi dispositionem ab ipsis in sæculo factam.
- 2 Referuntur exempla, quibus hujusmodi facultas disponendi fuit Regularibus concessa.
- 3 Moniali post demandatam in sæculo foundationem Cappellaniæ de propriis bonis post suum obitum erigendam non est concedenda facultas mutandi, & disponendi de iisdem bonis favore sui Monasterii. Intellige, ut n.7.

- 4 Regulari non est concedenda licentia revocandi testamentum ante Professionem ab ipso conditum, hæredem relinquendo suum Monasterium; Intellige, ut n.8.
- 5 Religioso est concedenda facultas mutandi antiquam dispositionem, & reservationem jurispatronatus factam de tempore novitiatus, quando nova dispositio est rationabilis, & nemini præjudicialis.
- 6 Commutatio voluntatis solet à Summo Pontifice permitti, non obstante Tertii præjudicio merè eventuali, & incerto.

C A S U S III.

Res, quædam Monialis, dum erat in Novitiatu, & ante Professionem, instituit Cappellanas, & jus ad eas nominandi sibi reservavit, & post suum obitum jus illud detulit ad nonnullos suos consanguineos, quibus deficientibus ad Patrem Rectorem Collegii Societatis Jesu, Civitatis A, absque eò, quod tamen Ecclesiam expresserit, in qua Cappellani deberent Missas celebrare. Cupit modò eadem Monialis, ut à Summo Pontifice sibi indulgeatur facultas disponendi, primo, quod Cappellani nominandi deberent esse ex suis Consanguineis intrà quartum gradum, & in eorum defectu, ex pauperioribus, & magis egenis Sacerdotibus, suo Monasterio inservientibus; Secundò, quod Missæ semper in Ecclesia sui Monasterii celebrarentur; & tertio, quod jus nominandi Cappellanos deferretur ad ejusdem Monasterii Abbatissam, subdendo Patrem Rectorem Collegii Societatis Jesu se promptissimum, & paratissimum exhibere ad renunciandum pro se, suisque successoribus juri nominandi sibi, vel successoribus suis deferendo post obitum dictæ Monialis. Quo casu quaeritur an eidem Moniali concedenda sit hujusmodi facultas?

- 1 De Potestate Pontificia, seu quod Summus Pontifex possit concedere Regularibus facultatem disponendi, & mutandi dispositionem ab ipsis in sæculo factam, nulla est hæsitatio; quia cum tota prohibitio disponendi tam inter vivos, quam in ultima voluntate quoad Monachos, & Moniales descendat à jure positivo, nimirum à Textu in authentica ingressi C. de Sacrosanctis Ecclesiis, & à cap. quia ingredi-

dientibus de Testam. Summus Pontifex sua Auctoritate hanc prohibitionem tollere, & juri positivo derogare valet, ut patet pluribus exemplis, & casibus in S. Congregatione Concilii ventilatis, præsertim in quadam causa *Florentina* 13. *Julii* 1686., ubi eadem Congregatio indulgit Fratri Camillo Lando ordinis S. Augustini, ut accedente consensu Fratrum sui Conventus renunciare posset juribus sibi competentibus super quadam domo favore sui Fratris germani; & in alia causa *Limana* 27. *Junii* 1699. concessit cuidam Moniali, ut de certa quantitate dispo-neret, cujus dispositionem sibi reservaverat in Testamento, quod fecerat antè Professionem; Difficultas stat in voluntate, seu an Summus Pontifex debeat, & soleat hujusmodi facultatem Regularibus concedere.

Negativam responsonem suadent quamplures Resolutiones Sacræ Congregationis Concilii, quibus apparent consimiles petitiones rejectæ; In quadam enim causa *Toletana* die 8. *Julii* 1668. Sacra Congregatio negativè respondit petitioni cujusdam Monialis Sanctæ Claræ, quæ post demandatam in suo testamento, quod in sæculo considerat, Cappellanæ fundationem post suum obitum erigendam, & ad quam suos vocaverat Consanguineos, postulabat facultatem de iisdem bonis disponendi favore sui Monasterii. Item in quadam causa *Bononiensis* die 25. *Febr.* 1679., & die 23. *Augusti* 1692., eadem Sacra Congregatio noluit concedere licentiam revocandi testamentum cuidam Regulari, qui ante Professionem illud condiderat, hæredem relinquendo suum Monasterium, licèt ageretur de Professo inter Jesuitas, & licèt ordo Jesuatorum, tempore petitionis, fuisset jam suppressus à Summo Pontifice Clemente IX.

His tamen non obstantibus in quadam causa *Toletana* proposita in Sacra Congregatione Concilii, ubi similis casus disputabatur, sentiebam esse annuendum petitioni præfatæ Monialis, prævia tamen renunciatione juris nominandi facienda per Præpositum Generalem; Supradicta namque nova dispositio, quam eadem Monialis vellet explere, est rationabilis, quia per eam consulitur Ecclesiæ proprii Monasterii, quæ non habet sufficientem

numerum Missarum, non est ulli præjudicialis, non quidem Consanguineis, quibus reservatum fuit jus activum nominandi, quia isti jam decesserunt, nec est præjudicialis juri passivo, quia istud nulli fuit in prima dispositione reservatum; neque præjudicium infert alicui Ecclesiæ, quia in eadem prima dispositione non fuit expressa Ecclesia, in qua Missæ essent celebrandæ.

Non officit, quod si concedatur facultas deveniendi ad dictam novam dispositionem, præjudicetur Rectori Collegii Societatis Jesu; quia in primis hujusmodi concessio est permittenda prævia renunciatione juris nominandi facienda per Præpositum Generalem; deinde cum jus nominandi Cappellanos vigore primæ dispositionis devolvatur ad Patrem Rectorem post obitum dictæ Monialis, non agitur de jure quæsito eidem Patri Rectori, sed quærendo, & consequenter præjudicium illud generale, quod suboritur ex nova reservatione juris nominandi Cappellanos favore Abbatissæ, non est considerabile, sed eo non obstante permitti solet à Summo Pontifice commutatio voluntatis. *Gabriel. conf.* 183. n. 19. & *seq. lib. 2. Card. de Luc. de Testam. disc.* 87. n. 4. *vers. ac etiam, Rot. in Gerunden. Applicationis* 14. *Junii* 1706. *S. Levioris, coram Reverendissimo Molines.* Et ita resolutum fuit ab eadem Sacra Congregatione Concilii in dicta *Toletana* 7. *Maji* 1718.

Contrariæ verò resolutiones supra relatae num. 3. & 4. non obstant; Prima namque processit, quia oratrix ad mutationem dispositionis deveniebat non tam ex amore erga suum Monasterium, quam ex odio concepto adversus consanguineos; Secunda autem habuit originem, ex eo quia in ea causa, nè dum aderat præjudicium Monasterii hæredis instituti in primo Testamento, cujus bona, & jura ad Sedem Apostolicam erant devoluta, sed ulterius Papa Religionem supprimendo, Professis permiserat transitum ad aliam Religionem, & quatenus in seculo permansissent in habitu Clericali, præstationem ex redditibus Monasterii assignaverat; ut colligitur ex eisdem resolutionibus in dictis Causis editis.